



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamen Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag. Fr.  
Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis,  
Ad Interrogata respondens Circa Exclusivam, quandoque  
à Principibus interpositam, ne ...**

**Adarzo, Gabriel**

**Francofurti, 1660**

Motiva contradicendi ad excludendum, qualia? Forma Exclusivae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10517**

*Motiva contradicendi seu ad excludendum:  
Formaque Exclusiva.*

**C**irca motiva & causas contradicendi, seu exclu- 39  
dendi aliquem ab ordinatione, seu ab electione  
passiva ( quæ Concilia allegata, secundo loco dis-  
cutienda præcipiunt ) judico debere esse tales, ut ob  
eas exclusus indignus omninò reddatur ordinati-  
one. Et in casu nostro, si hodie motiva excludendi fu-  
erint peccata contra publicam pacem, dubio abs-  
que, me hercle, nulla urgentior, seu robustior con-  
tradictio opponi potest, juxta dicta suprà, to-  
to §. 1. & 2.

Nec refert, quòd forma objiciendi, seu contra- 40  
dicendi sit hæc vel illa; Quoniam sive per modum  
quærelæ fiat, sive per modum depositionis, seu de-  
nunciationis charitativæ de crimine, seu de crimi-  
nibus ab eo, cui objicitur, perpetratis. Sat est, ut  
Elector eam recipiens teneatur accusatum excludere:  
Præcipuè si Princeps dixerit, se ex motu proprio, &  
ex certa scientia deponere: Exempli gratiâ, potest  
dicere Princeps, scio Cajum esse belligerosum, &  
seditiosum, ut in causa tertij sum expertus, vel Cajus  
est & fuit mihi infensus, concitavit enim adversus



me Principes ; bella nutrit magno cum dispendio Ecclesiæ, ac meo. Oro vos, ne agatis de eo inthronizando, ne mala, malè fota, crescant. Vel poterit Princeps dicere Patribus Electoribus: Oppono Cajo, ex motu proprio & ex certa scientia tale crimen ( designando illud ) contra pacem publicam commissum : & simul vobis expono, quòd si inthronizabitur, Ecclesiæ quies omninò exulabit, & cuncta ejus in deterius vergent &c. Unde nil refert, quòd his vel illis verbis Exclusiva formetur, dummodò sit proposita ex causa gravi, & à Principe benè nota, nam in negotijs hujus generis, materiæ momenta, non verborum artificia sunt attendenda, & æstima-

S. VIII.

*Qui excipit Exclusivam, tenetur ei favere.  
Objectiones ponuntur & solvuntur.*

41 **D**ico quintò: Sacer & Eminentissimus Elector, qui Exclusivam à Principe ex motu proprio, & ex certa scientia datam semel excepit, tenetur ei favere suffragio suo: Hæc conclusio deducitur ex dictis tota Sectione: nam ad eam probandam cuncta conspirant, quæ breviter sic resumo.

Emi-